
366

65.





DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis, primâ Martii, 1729.

M. JOANNES-BAPTISTA BOYER, Doctore Medico, Præside.

Utrùm in Gravidis totus uterus æqualiter extendatur?

I.

INstar agri uterus est: in hujus sinu homo seritur, alitur & crescit. Hic priùs in ovario degebat, inclusus membranulâ, in liquoris guttulâ natans liquor ipse, suis coævus parentibus totamque nepotum seriem jam continens. Non ergo oritur ex utriusque sexûs liquoribus commixtis, agitatis, effervescentibus. Solus qui hominem antequam esset vidit, ejus vasa, membranas, nervos, &c. finxit & in unam compegit massam; Inertem suo Mas semine in quo vermes deprehendit sagax præstantissimi Philosophi libido, vitali motu perfundit; Viventem succo abundanti, quo sua vasa turgent, per novem menses nutrit Femina: aliàs singulis mensi-

bus inutilis liquor foràs amandatur. At quâ parte depluat, ut ſcire neceſſarium, ſic ſtatuere perarduum. Fermè enim non acriùs circà fontium originem Philoſophi, quàm circà menſtruorum ſcaturiginem Medici diſputarunt. Ne tamen credas cum Columbo, Rolfincio, Cochburnio, Bohnio, Bergero è vaginâ diſtillare menſtrua. Non in vaginâ, non in uteri collo, ſed in ipſo uteri fundo duarum Mulierum fluentibus catameniis emortuarum maculas è quibus elicere ſanguinem facile erat, ipſe vidi. Vin præſtantes ejuſdem rei aſſertores & teſtes? Graafium, Spigelium, Veſalium, Morgagnium, Sanctorinum, Bianchum laudo. Quanti Viri! ſic de veris ambigitur, & ſœpiùs de falſis vel non dubitatur. Noſcis-ne multos qui prægnantem uterum ex omni parte æqualiter extendi negent? meritò tamen negaretur. Quid hâc de re ſentire debes, partes plurimæ quæ ipſi utero adhærent, te certò docebunt.

II.

FAllopii tubarum altera extremitas ab utero longè recedit; altera in uteri cavum penetrat. Ovariorum pediculi ipſi utero connaſcuntur. Vaſorum faſciculi ligamenta rotunda dicti, ipſius uteri vaſorum ſunt propagines. Explores ſedulò ex quo uteri contracti loco hæ partes emergant; videas etiam circà partûs tempora utrùm eidem uteri expanſi loco reſpondeant necne: dein certum de extenſionis uteri modo feres judicium. Sic ratiociniis experimenta præire decet. De partium uſu dicturus, partium fabricam inſpice; aliter inania proferes. Qui prægnantem uterum nuſquàm vidit, ipſum non prægnante tenuiorem pronuntiat. Quo magìs, inquit, maſſa extenditur, eo fit gracilior. Qui rem oculis luſtrare manibuſque palpare amat, contrarium aſſeret. At non ubique ita facilis ſecanti ſe offert veritas. Solertem manum, perſpicaces oculos ſagacemque mentem ſœpè fugit. At non te deterreat labor improbus: contrà ardentior ito. Non indecoro manus madeant cruore; brutorum cadavera inſpicias; ipſorum exta ſpirantia conſulas. Curioſiùs adhuc corporis humani partes rimeris. Si quid ſentiendum non invenis, quid non ſentiendum invenies; non contemnenda laboris merces.

III.

MUltas partes in pelvis fundo natura congeſſit. Sacculus expanſilis fœtentem urinam excipiens anterius collocatur. Poſteriùs inteſtinum rectum putreſcentes continet fæces; interutrumque vagina, chara Veneri ſedes, quâ opacâ tetramque me-

phitim exhalante non Gnidus non Paphos Amorum Parenti gratior. Vaginæ continuatur uterus, cui plurima à spermaticis hipogastricis hæmorrhoidalibusque arteriis derivata vasa purpureum laticem, paribus venis valvularum expertibus resumendum, pleno flumine subministrant. Pro tanto vasorum apparatu minima est uteri moles, manu quippe comprehendi posset; & pro eâ quâ extenditur mole, exiguo excavatur sinu. Uterus igitur sacculus est qui corporis & colli nominibus continetur totus. Collum vaginæ adaptatur atque intrà ipsam prominens obtuso inhiat rostro. Corpus cujus pars orificio adversa, fundus est, rotundis latisque ligamentis in pelvi figitur. Rotunda ligamenta anteriùs ex utero propè fundum emergentia versùs inguina protenduntur. Ligamenta lata à duplicatâ Peritonei membranâ oriunda versùs musculos iliacos excurrunt. Horum posterioribus anterioribusque limbis involvuntur ex ipso ferè uteri fundo pullulantes ovariorum pediculi, tubæque Fallopianæ. Vides igitur has omnes uteri appendices à superiori fermè illius parte propagatas. Sed instante partu, quàm dissimilis harum partium cum utero connexionis ratio! tantùm ab uteri fundo distant, quantùm uteri fundo vicinæ erant.

IV.

SI prægnans uterus examini subjicitur, ipsius structura difficilè, si non prægnans, difficillimè extricatur. In illo circà ultima graviditatis tempora, aut mox à partu reperies fibras carneas in fasciculos collectas, & in retis modum implicitas. His innumeræ interferuntur pelliculæ quibus incumbunt ampli vasorum sinus juxtà diversos ordines dispositi, innumerisque inter se communicantes Anastomosibus. In utero contracto apparet vasorum & fibrarum intricata congeries nullâ fermè arte resolvenda. Hæ fibræ, hæc vasa grandescente in dies fœtu & augescente aquarum secundinarumque mole explicantur, evolvuntur; vi domesticâ totus expanditur uterus. Jam amplo gaudet sinu, pedalemque diametrum circiter obtinet. Tunc ligamenta rotunda, ovariorum pediculos, tubas Fallopianas juxtà ipsius partem superiorem frustrà quæreres. Totum ferè, quod amplitudinis adeptus est uterus, istis omnibus supereminet: at in imam partem oculos deprime, quæ priùs sextâ contracti uteri longitudinis parte ab ejus fundo vix distabant, vix, instante partu, sextâ uteri extensi longitudinis parte ab ejus orificio distant. Unde facili patet calculo extensionem uteri duodecies ad minimùm majorem esse in fundo, quàm in reliquis ejus partibus.

V.

NON mirum igitur uteri fundum præ cæteris uteri partibus tantùm extendi. Cum ipsi se applicet placenta, debet cum illâ crescere & ampliari. Si quæras cur uteri fundo adhæreat placenta? iis suas radices immittere debet vasorum ostiolis, è quibus destinatum sibi pabulum, liquor nempè menstruus, solet extillare. At ulteriùs instas: quo mechanismo uteri fundum tàm constanter affectet placenta? A te petam cur arborum semina deorsùm suas figant radices sursùmque truncum attollant? Uteri fundo placentam committi probat adhuc musculus verè detrusor placentæ, quem nonagenarius fermè Ruyschius detexit. (Utinam corpus quod tam benè novit, mens optimi Senis diù adhuc linquere recuset.) Ex fibris conflatur circulos constituentibus quorum centrum est in uteri fundo. Obstetricantibus ne credas à se placentam in diversis uteri regionibus reperiri affirmantibus. Non variat placentæ adhæsio, variat uteri situs. Quantùm inde utilitatis in artem obstetricatoriam, refunditur! Illust. Deventer cui Obstetricantium par nemo, uteri fundum anteriùs vel posteriùs, ad lævam vel dextram prolabi demonstrat. Scilicet uterus ultimis prægnationis mensibus ut antè graviditatem non ita firmiter suis continetur ligamentis; crescentis maximè fundi ampliata moles hunc à solitis vindicat retinaculis.

Non ergo in Gravidis totus uterus æqualiter extenditur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michael Peaget, rei Herbariæ Professor designatus.	*M. Petrus Afforty, filius.*	*M. Ægidius Adam, Scholarum Professor.*
M. Joannes-Baptista-Faustus Alliot de Mussay.	*M. Claudius Renard.*	*M. Camillus Falconet, Regiæ utriusque Aulæ Equestris; Medicus ordinarius.*
M. Nicolaus le Tellier.	*M. Franciscus Bailly.*	*M. Hyacinthus-Theodorus Baron, Pharmaciæ Professor.*

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS-JOSEPHUS HUNAULD, Armoricus, Baccalaureus Medicus, & Regiæ Scientiarum Academiæ socius, A. R. S. H. 1729. à sextâ ad meridiem.

Typis Viduæ J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typog. 1729.